

Zf  
127









*Epitaphia*

**I N O B I T U M**

*Clarissimi & Excellentissimi Viri Dn.*

**FRIDERICI TAUBMANI,**

**POETÆ HUIUS SÆCULI FACILE**

**Principis, & in Illustri V Vittebergensium**

**Academiâ Professoris**

**Publici**

*Pii Affectus & debita Gratitude erga defunctum*

*Præceptorem & Patronum desideratissimum*

*testificanda gratiâ,*

**AB**

**Illustrissimorum Celsissimorumque Prin-**

**cipum ac Dominorum, Domini CHRISTIA-**

**NI, ac Domini IOACHIMI ERNESTI,**

**Marchionum Brandenburgico-**

**rum, &c.**

**ALUMNIS**

*In Illustri Wittebergensium Academia*

*conscripta.*



*26 127*

*95*

**WITTEBERGÆ,**

**Ex Typographico IOHANNIS GORMANNI.**

**ANNO M. DC. XIII.**

*1918 9 175*











Vistantus gemitus, quis tantus plangor ad  
auras

Surgit; quis tantus fletus in urbe fre-  
mit?

Pieridumque Chorus cur tam miserabile carmen

Ingeminat passis post sua terga comis?

Musa mihi causas memora; heu! sed & ipsa dolore

Pressa es, non idem, vultus ut antè, tibi!

Quid retices, dic Musa mihi? num faucibus hæret

Lingva; interclusum est num tibi vocis iter?

Occidit heu! Phœbi interpres dexterrimus unus,

Quem nobis patriæ terra benigna tulit.

Dixit: & in lacrimas totam se solvit amaras,

Iussit & hæc tremulâ scribere verba manu:

Heu, Taubmanne, jaces indignâ morte peremptus,

Vivere qui longo tempore dignus eras!

Occidit, ah, quantum decus, ô Germania, quantum

Præsidium ereptum est, Francica terra, tibi!

Præstitit hic absens tibi plurima commoda; alumnis

Brandenburgiacis portus & aura tuis.

Iamque ratem errantem liquit rectore carentem

Quæ forsan dubiam est nunc habitura viam.

Vah truculenta manus necis; ah crudelia fata!

Durius ah saxis, mors fera, pectus habes!

Non animi egregiæ dotes te flectere possunt;

Non virtus ulla, aut vita peracta piè?

Quid juvat ad vites, maturescantibus uvis,

Ante diem properas applicuisse manus?

A 2 Cur

BIBLIOTHECA  
MUSEI  
MUSEI  
MUSEI



Cur non obscuros aufers? cur negligis istos

Vivere quos tædet, quosque senecta premi?

Nil ergo ingenium multum excoluisse per artes;

Nil assisse; nihil multa tulisse juvet?

Iam valeat Phœbus, valeatque sua arte Machaon,

Qui conservare hunc non potuere virum.

Sed quid ago demens; fuit hæc divina voluntas,

Cur mihi non placeant, quæ placuere DEO?

Nec tua enim PIETAS, VIRTUS, CHRISTIANAQUE Musa

Taubmann omnino te perisile finent.

Ast animam Illa tuam Sanctorum sedibus infert,

Et cum coelitibus carmina læta canis.

Et sic venisti Patriæ cœlestis ad oras,

Æternis lætus perfruerisque bonis.

Hæ, quamvis corpus cineres redigatur in atros,

Efficient nomen vivere in orbem tuum.

Donec in extremâ quondam illâ luce sepultis

Nuncia surgendi buccina signa dabit.

Interea manes placidè requiescite in urna,

Et placidus cineri sit sopor usque pio.

M. WOLFGANGUS MAUERER

Sparneccens. Varisc.

Ω Πέδον ἠδίσον πάτρης, κὶ Μῶσαι ἅπασαι  
ἀχαλῆτε λίαν νῦν ὀλοφουρόμηναι.  
ἦν κραδίην, Φάμ, ἂν κατέχοι νῦν πενθὰς ἀνίη,  
ὅτ' ἔκεν υμείων τῆς κορυφῆς τέφανθαι  
κάρφθαι, κὶ κήρυξ υμείων κἀθαινε κλειτὸς,  
δήπερ θαυμαστὸς Ταυβμανὸς ἠδὲ υπῆς.  
ἠνιδε λευκορίδθαι Μωσαῖν ἀειώσιον ἄλγθαι!  
δείκνυθ' ὁμῶς ἄχθθαι πᾶς φιλόμωσθαι εὐόν,  
δείκνυθ' ἄχθθαι σοφία κὶ δρεῖθαι κλυτὸς, ἀγλαὸς ἀνίη,  
αἰμερῶν ὅς θρήνηθαι ὀξύτωνθαι ἀρχέει.

καμ



μη πάντες θνήσκοιμεν ἐνὶ ζυγίονι πότιμω,  
 Αἰσάτε τῶν Φωτῶν Φείδεσσι ἐχὶ σφῶνδ  
 ὡς ταχὺ εὐώδες γλώσσης Ρωμῆιδ' ἀνθ' ἑμῆς!  
 Φεῦ ἔμαρ ἀνθ' ἐὼν παλῆιδ' ἀνθ' ἑμῆς!  
 ἀλλὰ δὲ ἔκ' ἔμαρ ἀνθ' ἑμῆς τῆς παλῆιδ' ἀνθ' ἑμῆς!  
 ἀνθεῖ γ' ἔρανόθι, ὡς ἴα καλά πεδῶ.  
 Ταυβμανὸς ἡμείων ζῶει, κ' ἔκ' εἰκαδὲ πότιμω.  
 πάντων κῆσφι κακῶν εὐφροσύνης Δαγῶν.  
 εἰθλήσαντι τε πικρυχίω πολυήρπον' ἄθλον  
 πᾶν νικίσαντι αὐτὸς ἔδωκε θεός.  
 ἄφθαρτον δόξης Δάφνην, Φιλότητα Θεοῖο:  
 μὴ τῆδε, εἰπέ, Θεῶν κύδιμ' ἄεθλα πέλει;  
 ἔνομα Ταυβμανοῖο μῦθε κύδιπον ἀγίρω.  
 ἀτρεκέως ἔξει κ' κλέ' ἀθάνατον.  
 αὐτὸς ζῶσει ἐν εὐλογίᾳ πολὺ φίλτατα τέκνα:  
 μὴ τῆδε, εἰπέ, Θεῶν κύδιμ' ἄεθλα πέλει;  
 τ' ἐνεκεν, ὦ γόνε ποσατίη ΧΡΙΣΤΙΑΝΕ τῆκῆ,  
 μὴ κλαῦσον, παντὶ πένθει λυομένω.  
 σοὶ δέν' ἵσι μόνω Δασώζειν ἐνδοθι γαίης  
 τὸν χυετῆρα τὸν ζῶντα κ' ἀθάνατον.  
 βωμολοχίαων ἐκχύτης κείν' ἀναγῆς  
 λῆγοι ἂν ἐκχύειν ἀνθερεῶνι ῥόον  
 ἄφρονα κ' ψευδῆ. ἔκ' ἐσθλὸν ἐπ' ἀνδράσ' ἀγαθοῖς  
 κερτομέειν θνητοῖς ἀνέρα κυδάλιμον.

Faciebat Witteberge συμπαιδείας χάριν J O H A N  
 NES STUMPFIIUS Nemersdorpiensis  
 nus Francus.

Φεῦ, Φεῦ πᾶν ἡμαρ καὶ νύκτα Διάβροχός εἰμι  
 δάκρυσσι θερμότεροις, ἠδὲ τε δακρυχέω.  
 Αἴλινα γδ γοεροῖς σομάτεσι κλαῖναι αληθῶς  
 ἐντὶ ἔμοιγε βαρὺ αἴτιον ἠδὲ μέγα.

A 3

T. A. T. B.





ΤΑΤΜΑΝΟΣ γδ Φῶς ἐρατὸν λίπεν ἡελίοιο,  
βρῶμά τε σκωλήκων σῶμα ἔχρητο ἑόν.  
Ἀνθρώπων θεόφρον, ποικίλων ἀντάξι' ἄλλων  
ποικίλα μοισάων δῶρα ἔδισαμυτο.  
Ἀνδρῶν θαῦμα σφῶν, τ' φαεσφόρον ὄμμα ποιητέων,  
ἔφῃμη πάντων κειμένη ἐν σόμασιν.  
ἔφιλόνεικτο, ἀτὰρ Ἰεῖρηνόφιλο μάλα ἔσκεν,  
ἔσκεν ἐλευθέρι, καὶ φθονοῦ ἔσκεν ὁμῶς.  
Ἀνὴρ εὐδόκιμο, καὶ ἀνὴρ ἀνυπόκριτο ἔσκεν,  
ζὺν σκυθρωπασμῶ φαιδρῶ εὐτράπελο,  
καὶ ἔφορος μύσησιν ὀλυμπιάδεσσιν ὀπιθῶν,  
καὶ μάλα μισθοφόρων πιστὸς ἔη ἔφορος.  
ἔσκεν ὁ ΤΑΤΜΑΝΟΣ. Δύναϊά τις ἀκάρδι' ἦεν,  
μὴ ζὺν ἐμοὶ κλαύση κῆρα βροτοῖο κλυτῆ;  
Νῦν δὲ μάλιτα πρέπει με γοήμον' ὄμβρον ὀπωπῆς  
θερμὸν ἀναβλύζειν, αἰῖτε δακρυχέμετρο.  
ἔγδ' ἀποθρηνώ ἔφορον, πατέρ' ἀλλ' ἀγαπήθον,  
καὶ πατέρα θρηνώ εὐμυῆ, ἠδ' ἔφορον.  
Ἐλπώρῃ πρῶτη μεῦ ἀθάνατο θεὸς ἔσκεν,  
ἔσκεν ΤΑΤΜΑΝΟΣ δευτέρα ἐλπίς ἐμά,  
τί πρῶτῳ; τοῖον ζητῶ πατέρ' ἠπιόθυμον,  
ποῖο ΤΑΤΒΜΑΝΟΣ ἠπιόθυμο ἔη;  
Αὐτὰρ τίπτε ἔχω πένθο μέγα ἦτορ μεῖο;  
εἰνὶ χροῖ ζῆσεν, ἠθέλεν ἄχρη θεός.  
ἠθέλεν ἄχρη θεός, τὰ ὑπέρτα δώματα ναίων,  
ἐν χερσὶν γδ' ἔθεν κῆρ' ἔχει ἠδὲ βίον.  
ΤΑΤΒΜΑΝΟΝ θεὸς ἐκ κόσμοιο μετήχρη ἐς ἄστρων  
ἐνδιον, ἠδ' αὐτὸν ῥύσατο δυσυχίων.  
Ἀνέρες ἀργύρα ἄγιοι, μὴ κήδε' ὀρώσι,  
καρπαλίμως τὰ βροτοῖς νυνὶ ἐφῆπ' ἀνόμοις.  
Σῶμ' ἔο λυσιμελεῖ κείται δεδμημένον ὑπνω  
εἰνὶ βαθυκρήμνω, πνεῦμα δ' ὀλυμπεῖ ἔχει.  
Βάσκι' ἴσι, εὐδίαγ', ἔρρωσ', ἐσθλῆ γῆθεο παύσει,  
καὶ θεῶ ἐν κόλπῳ παύεο νῦν σεοθεν

ὑπε-



ὕψις φέρει τὰ χ' ἐλεύσειαι ἡριφρεῖς,  
ΧΡΙΣΤΟΣ ζωγήσει τῷ σέο σῶμα βροτῶν."

MELCHIOR MEDLERUS  
Curiâ-Variscus.

**O** Violenta feris quantum mucrone patronum,  
Humani generis trux Libitina malum!  
Tu viles, claros, indoctos atque peritos  
Principe cum civem tollis iniqua suo.  
Et cum fatali tu demetis omnia morsu,  
Ipsa tibi pestis propria & esse soles.  
Nam cum Taubmannum doctrinae numine grandem  
Sustuleris, non is morte peremptus obit.  
Quem cum lethifera deperdere falce volebas,  
Ipsae tibi pestis facta cruenta tua est.  
Nam tu non hominem tentasti livida solum,  
Sed potius divum luce micante virum.  
Hinc quanquam tuleris rebus mortalibus ipsum,  
Luce sui pepulit te violenta animi.  
Ille tibi corpus nunquam sua damna reliquit,  
Ingenii verum victor habebit opes.  
Hisce tibi insultat quod sis devicta, nec ulla  
Unquam in Taubmannum vis erit, atra, tibi.  
Tu pulses quantum possis, Taubmannus honore  
Doctrinae pestis facta cruenta tua est.

IOHANNES GALLUS Sparnie.  
Variscus.

**E**Rgò nigra dies & adest miserabilis hora,  
Quâ TAUBMANE ferâ morte peremte jaces?  
Et tibi in æternam clauduntur lumina noctem,  
Qui Pylios annos vivere dignus eras.

Nec



Nec pietas tua, doctiloquæ nec gratia linguæ,  
 Nec dos ingenij Numina læva movent?  
 Quo se jactabat modò Leucoris alma beatam,  
 Leucoris ingeniiis incluta, foeta Viris,  
 Iam te moesta nimis sua per confinia quærit,  
 Ingeminans; ubi ubi es? Gloria nostra ubi ubi es?  
 O sævas nimium Parcas! ô Numina læva!  
 Nulla quibus CAPITI huic parcere cura fuit.  
 Quis mihi, quis fluviis lacrimarum suppetet undas,  
 Ut queriter funus more decente tuum?  
 Tu mihi carus eras, mansit dum vita, Patronus,  
 Quem meritò decuit Patris habere loco.  
 Quid ni igitur tristes surgant mihi corde dolores?  
 Quidni perpetuis ora rigem lacrimis?  
 Te fleo, Te doleo, mecum STUDIOSA IUVENTUS  
 Te flet, teque dolet funere moesta tuo:  
 Et citius tenues mihi vita exhibit in auras,  
 Quàm tuus è nostro pectore vultus eat.  
 Quoquo sub coelo fuero, queiscunque sub oris,  
 Nomen inoblitâ mente tenebo tuum.  
 Nunc salve æternùm tumuli sub regmine corpus,  
 Salve anima in coeli sedibus ætheriis,  
 Atque illic magno celebra pia gaudia plausu,  
 Quæ tibi sunt Nati sanguine parva DEI.  
 LAURENTIUS HOFMANUS  
 Heilsbrunnensis Fr.

---

**T**Aubmanus (*sic hospitium, non propria sedes*  
*Est terra*) humanum vivere deseruit.  
 Taubmanus, qui vir? quem scit domus utraque solis  
 Inter Laurigeros eminuisse viros.  
 Pulcrum



*Pulcrum illud Vatum lumen, germana MELISSA  
Progenies, mortem, præb dolor, occubuis!  
Ille Poëtarum; nostris ille unio Francis  
Heu importunum mortis adivit iter!  
Huc alacres properate Dea vestroq; parenti  
Taubmano largas solvite lacrimulas.  
Huc, huc inprimis gemitus conferte Poëta  
Et lacrimas, quotquot Patria Francis habet.  
Tuque adeo Heilsbronnæ studiis damnata juvenus,  
Taubmani facito manibus inferias.  
Quin pariter mecum querulos nunc edite luctus,  
Quotquot alit docto Calliopæa favo.  
Et cur nolitis? Nam vos communis eodem  
Immersit vasto luctus in Oceano.  
Pernicies certè, cum tanta sit addita Mænis  
Solliciti causam quisque doloris habet.  
Me dolor incendit certè, me publica rerum  
Damna movent, uno publica facta malo.  
Heroas versus tentavi, & grandia Vatum  
Carmina, vel docilis jungere verba Lyra;  
Digna mihi visa est grandi res ista coturno,  
Nomen ut æternis iret ad Astra rotis.  
Hæc ego tentavi, fateor, sed tristis avena  
Marcuit, & fractis carmen arundinibus;  
Verti ergo ad lacrimas venam, luctumq; paravi,  
Flebilibus condires erat apta modis.  
Has igitur lacrimas, hæc & tibi carmina libo.  
Taubmane Aonisin nobile delictum:  
His lacrimis Frederice, meis spargo ora genasq;  
Et mersum gravidis sentio pectus aquis.  
Flebilis est mors ista mihi, Taubmane, nec unquam  
Fleta sat, æternis flebilis illa modis.*



*Sed sisto hic. Nunc tu caelorum sede potiris,  
Letarisq; DEI sancte recepte sinu:  
Jam multis multum miseris defuncte ruinis,  
Cum Christo eternum gaudia victor habes.  
Et licet hoc corpus tumulo mandetur; at illic  
Pascitur ad spectu mens & amore DEI.  
Ergo inter nitido dormi nunc lilia caelo,  
Et tua adoratis floreat urna rosis.*

IOHANNES STADELMANUS  
Oxoviensis Fr.

---

**N**OBIS æqua minùs videtur esse  
Fati conditio nimisq; dura,  
Quod, qui mortuus est semel, redire  
Haudquaquam è gelido potest sepulcro,  
Cum rerum melior ferè sit omnium  
Status. Nam senium vetustus angvis  
Pelle deposita exiit, novamq;   
Ætatem induit; & malo rigore  
Brumæ gramina, quæ jacent peremta,  
Novo mox rediviva pullulare  
Vere cernimus & vigere Sole.

Verum sic placet hoc DEO supremo,  
Qui, quæcunq; hominem beant, scit unus ::  
Nec per Te fieri, Vir optimorum,  
TAUBMANE optime, sat scio, potesset,  
Mortales iterum ut domos revisas,  
Cum jam perpetuò fruare sanctis

Coeli



Coeli delicijs beatioris,  
Adspectuque DEI & Sacrae cohortis.  
Sed si quem pateretur evocari  
Natura, unanimi petendus esses,  
Tu TAUBMANE Vir optime, optime,  
Qui multos poteras adhuc juvare,  
Musarumque choros, bonas & artes  
Promovere. Erenim cathedra luget  
Erepto sibi Te, queruntur artes,  
Lugent Pierides, cohortisque docta,  
Te fautore suo quia est carendum.

Ah Parcae nimium genus cruentum  
Estis, tam lepidum quod abstulistis  
Virum, qui pietate singulari  
Planè & Zelotypâ DEUM colebat,  
Qui cor candidius nitente lacte  
Erga quemque tulit fideque plenum,  
Quique ob dona suae disertae linguae  
Europae meritò vocatur Astrum,  
Romanique catus chori Sacerdos:  
Cui Phoebus sua pectora occupavit,  
Cui natus Iove guttura expolivit,  
Cui dulcis coluit caput Minerva:  
Hæc summa est: pietatis ille verae,  
Virtutis, fidei, virique justii  
Exemplum proprium omnibus reliquit.

B 2

Ah



Ah Parca nimium genus cruentum,  
Virum tam lepidum quod abstulistis.  
Verum hoc cum placeat D E O Supremo,  
Et satis celebrer satisque magnus  
Hoc sis orbe Tibi patente factus:  
Quietus sub humo cinis quiescat,  
Verum pars melior perennè vivat  
Mille plausibus usque & usque gaudens.

ANDREAS VOGTHER Meinheimensis Fr.

---

Quid sibi Pieridum vult luctus, fovit ad undas  
Quas patriæ patrum cura salutiferas?  
Cur studiosa canit lugubria carmina pubes?  
Et cur in lacrimas Leucoris omnis abit?  
Anobis Sidus, TAUBMANNUM, Francidos ore  
Immiti rapuit Parca severa manu.  
O tristem casum Musis! O vulnus acerbum!  
Quod fuit inflictum Francica Musa tibi.  
O spes fallaces hominum! qui magna fuisset  
Spes mihi, sub terris conditus ille jacet.  
Ille jacet, cuius dulcis facundia lingua,  
Atque animi candor notus ubique fuit.  
Ille jacet, per quem Musarum gloria credit,  
Et cuius pietas omnibus innotuit.  
Sed, TAUBMANNE, modis non dignis aure Poëte  
Quid tento laudes enumerare tuas?  
Decantent illas alii modulamine docto  
Maiores Clarius quæis dedit augur opes.  
Affectus qui sint circa præcordia, tristes  
Sit mihi versu uno significasse satis.

Ex



*Ex animo toto Taubmannum defleo nostrum,  
Tam citò quem nobis abstulit atra dies.  
Gratulor ast anima, quæ jam versatur in aula  
Cœlesti, fruitur colloquioq; DEI.  
Cum fortunatis agit hæc jam patribus ævum,  
Et Sanctæ Triadi carmina læta canit.  
Interea corpus placidè requiescat in urna,  
Dum Deus angelicam mittat ab æthere tubam.*

CHRISTOPHORUS FIECHT Creils-  
heimensis Fr.

---

**S**umma dies Taubmanni, & ineluctabile nobis  
Tempus devenit? fuit ingens gloria vatumi?  
Res memoranda annalibus, & quæ spargere digna  
Toto orbe. Invida sic ergo mors sola fatetur  
Quantula sint hominum corpuscula, parcere tanto  
Noluerit cum Diræ viro, quiq; emicat inter  
Excultos homines, velut ignes Luna minores.  
Illi, Illi certè triplex æspectora circa  
Qui nolit pia verba acrem testantia luctum  
Ob præmaturam mortem effutire Poëtæ.  
Ast DEUS omnipotens umbræ sine pondere terram  
Da dulcem requiem, in cœlo post perpetuum ver.

Christophorus Heberer Fr.

---

**P**ostquam Taubmano ruperunt stamina Parca,  
Omnia luctifono plena dolore sonant:  
Oda silet dulcis, pro suaviloquentibus hymnis  
Fletur, & exanguis carmina torpor habet.  
Luget docta manus juvenum, subsellia lugent,  
Unde Maronæum voce tonabat epos.

B 3

Luget



*Luget & hinc illinc incredibiles singultus  
Ore ciens, passis cetera turba comis.  
Luget, & immensos ululans effundit aquarum  
Montes, Pierii turba novena chori.  
Nec choreas agitat cantus ad Apollinis ipsos,  
Hunc sibi quod rapuit Parca maligna virum:  
Antra sed insolitis implet deserta querelis,  
Ceu gemit erepto turture turtur amans:  
Nec prius est animus tetrum deponere Syrma,  
Numina Taubmanum quam dederint aliis.*

---

*O Parca minime parca, o hostilia corda,  
Non potui vestras ille movere manus;  
Cuius Saxos movit facundia rupes,  
Ad cuius steterunt flumina surda sonos?  
Scilicet ad Terras, Taubmanae polaverat omnes  
Laus tua, nec spacia huic ulla fuere super,  
Quae non implebat fama: Celum ergo petisti  
Exclusus terra sedibus exiguis.  
O Amor, o Sidus doctorum insigne virorum!  
O sol Teutoniae splendide! Cura Ducum!  
Festinas nimium confinia linquere terra,  
Aetherias nimium tendis adire domos.  
Sed quoniam hoc voluit lati Rex maximus orbis,  
Quo sine nulla cadunt fronte capillitia:  
Et neque Tu gestis in pristina membra reverti,  
Dulcia ter felix gaudia participa:  
Quae Tibi dat secura operum, secura laborum  
Gens, ubi perpetuum ver paradisus habet.  
Cbare Patrone mihi Salve, salve optime quondam  
Francorum fautor, perpetuumque Vale.*

*Hen*



*Heu quantum, posses utinam per gaudia scire,  
Francica Te raptis pectora vulnus habent.*

Johannes Dür, Chreilsheimens. Fr.

---

**S**I qua dies unquam planctū tribuenda molesto,  
Et fuit in lacrimis si qua terenda dies:  
Illa dies certè planctū tribuenda molesto,  
Et fuit in lacrimis ista terenda dies,  
Quâ malè, TE nostrum, qua TE TAUBMANNE Patronum  
Perdidimus, nobis qui PATRIS instar eras.  
Hujus in interitu heu! quam cladem accepimus? heu  
Vulnera multiplici facta fuere loco! (quàm  
Quis non, heu! quis non properatæ vincula mortis  
Culpet, quæis TANTUM surpuit illa VIRUM!  
Quantus, non fabor; testantur scripta polita,  
Præ reliquis Plautus testis adesse potest.  
Testis & est rumor pullatæ nescius urnæ,  
Famaque permultis nobilitata locis.  
Hunc nostra est mirata, sequens mirabitur ætas,  
Et cui vix referet Patria terra parem.  
Laudibus his cunctis sed nil Libitina movetur,  
TAUBMANNUM nobis abstulit ante diem.  
Abstulit ante diem; nec quicquam vota precesque  
Adversus rapidam vim potuere Deæ.  
Non tamen hoc ausu proprio Dea sæva patravit;  
*Sic Dominus voluit, sic Domino placuit.*  
Nescia vantari quare æquâ mente feramus;  
Tum quia gratari, quàm doluisse, juvet.  
Ille etenim è luctu translatus ad ætheris orbis,  
Nectarem mel ubi, lac niveumque fluit.

Suavibus



Suavibus & Christi lætus complexibus hæret,  
Nescius Euphrosynes tot meminisse vices.  
Nos contra manet anxietas, & lerna malorum;  
Nostrum est cottidie flere, dolere, premi.  
O igitur, felix mundi versatile templum  
Dum colis, & jam nunc gaudia mille capis.  
His te delecta donec volventibus annis  
E bustis cunctos evocet ore DEUS.

CASPARVS STEINIGER Weissenstad.  
Variscus.

**O**ccidit, heu, toto celebris TAUBMANNUS in orbe,  
LEUCOREI heu cecidit nobile germen agri.  
Heu Fatum, heu sevi falcem messoris iniquam,  
Que sine respectu florida queque metis!  
Tantane sit rabies, & tanta audacia mortis,  
Ausit ut in tantum stringere tela virum;  
Cui dedit ingenium Pallas, cui Suada leporem,  
Indidit, & pectus finxit Apollo pater?  
Heu decus eximium nullo reparabile voto,  
Sicne tui cupidos deseris ante diem?  
Ascreo vixit si quisquam carmine, si quis  
Prestitit ingenij dotibus, ille fuit:  
Si cui vita diu fuit exoptanda superstes,  
Hoc non longeva dignior ullus erat.  
Sed flecti immites nunquam potuere Sorores  
Fortius ut cuiquam stamina cepta trabant.  
Jus Natura suum nullo discrimine ad omnes  
Extendit; cunctos excipit atra dies.  
Terra babeat corpus, melior pars reddita caelo est,  
Nominis inde tui fama per astra volat.

Laude



Laude tua totus Taubmanne inclaruit orbis,  
Quam tu Thespiadum munere cultor habes.  
Insevit nec enim Terra has tibi Patria dotes,  
Ut qua Caucaseis rupibus aspra riget:  
Sed DEVS ipse luto mentem meliore polivit,  
Natus in exemplum bis ut videare bonis:  
Queis tu conspicuus modò non imitabilis ulli,  
Sed potius cunctis suspiciendus eras.  
Te DEUS ex humili protraxit sanguine, teq;  
Magno Principibus junxit honore viris.  
Hinc neque Natalis tellus, neque Saxonis ora  
Laudibus bis tantis sat spaciosa fuit:  
Hos ultra fines terras tua fama remotas  
Occupat, & clarum nomen ubique refert.  
Quare te meritò luget Germania ademptum,  
Quam solitus scriptis nobilitare tuis;  
Posteritas que sera legens tibi vota litabit,  
Et sic vivaci laude perennis eris.  
Nos quoque lugemus, quos hic tua cura fovebat,  
Qui fuimus fidei credita turba tue.  
Sed manes alii maerent abunt carmine docto,  
Hec mea Tu justu signu doloris habe:  
Taubmannus Vates, Musarum cura, Ducumque,  
Teutonibus occubuit Gloria magna soli.

MICHAEL ECCARTUS Pegnisseus Fr.

**O** Mea Francia fle, fle Misnia, Saxonis ora,  
Diffluet in lacrimas extera docta manus.  
Fle VViteberga tuam totam pullata per urbem,  
Nunc in Museis fle studiose chore.

C

Fle



Fle querulè, atque imbres effunde ex cordium abyſſo,  
Singultusque imos voce gemente cie:  
Nec vobis tantùm liceat lacrimarier, huius  
Me me juſta etiam cauſa doloris adit.  
Cui Pallas finxit raras in pectore dores,  
Cui doctam linguam Phœbus utramque dedit,  
T A U B M A N U S Parcæ ſicilice necatus iniquæ  
Occidit, heu, noſtræ gloria magna ſcholæ.  
Ora rotunda habuit Latiam proferre loquelam,  
Utter & Graijs ora rotunda habuit.  
Et quis non vellet tantum deſlere Poëtam?  
Nemine Taubmani mens mea dat gemitus.  
Nunc Thymbraeus ubi? triplex ubi triga ſororum?  
Pallas ubi & Charites? Suada ubi flexanima?  
Heu fugiant, dirisq̃ ſuum ſuccumbere vatem  
Permittunt fatiſ! Heu mala turba-Dea!  
Non domus & fundus non æris acervus & auri,  
Non probitas, non ars, ingenijq̃ decus,  
Non lauri & myrti, non herbæ conſitæ in hortis,  
Muſarum Argolicis Auſoniisq̃ jugis,  
Æſtiferam ægrotò potuere educere febrim  
Corpore, & à morſu vim prohibere necis.  
Occidit heu noſter qui Præceptorq̃ Parensq̃,  
Occidit ingenui vivida imago V I R I.  
V I R F R I D E R I C U S erat pacis vegetator amanſq̃,  
Conſtans, magni animi, perpetienſq̃ mali,  
Comis & Urbanus. Quid pluria? imago C O L U M B Æ  
Ambitione carens, ſimplicitatis avens,  
Nunc alâ geminâ ſe eſt auſus credere celo  
Elyſiæ ſedis tempe ad amœna volans.  
Una fuit P I E T A S & cura agnoſcere I O V A M,  
Cumq̃ Dei vero vera timore fides,

Altera



Altera DOCTRINA est, Criticesque peritia acuta,  
Quâ docuit juvenes eruditque senes.  
Ergo huic parta quies, nunc perpes vita perennat,  
Pendeat filo vita caduca prior.

PAULUS PFEIFER Culmb. Fr.

**H**eu nimum subita mortis lacrymabile fatum,  
Heu nimum Parce stamina seva Dea!  
Quo tua se tandem rabies jaetabit acerba,  
E heu praclaros quò rapis usque viros?  
Cum senibus juvenes tollis, cum rege bubulcum:  
Sub tua fata simul Cræsus & Irus eunt.  
Heu TAUBMANNE jaces multâ tumultatus arenâ;  
Exuviasq; foet terra lutosa tuas:  
Omnis nostra perit penitus fiducia tecum,  
Nec post ulla mihi spes superesse potest;  
Te praeptorem (ceufas est) conqueror: eheu!  
Cum mihi plus videam quàm periisse patrem.  
Flei mecum Phæbus, lacrumis testatur AMICI  
Quàm sibi dilecti mors sit acerba sui.  
Nec non plus solito lugent mærore Lycæa,  
Quod tibi non possint, flent, reperire parem;  
Te vix extincto lacrumis exuberat Albis,  
Atque suum cursum largius ire jubet:  
Denuò flaccescunt flores, volucresq; suâves  
Lusciniâque ferunt conticuisse melos.  
Ventorum Musis quam portendère ruinam  
Flatus, TAUBMANNI mors inopina docet.  
Hoc ad Francôas (heu!) si pervenerit aures,  
Quos gemitus tristi corde dedisse putas?

C 2

Flebit



Flebit Byrutbum, Culmbaccum, Principis aula,  
 Curia Variscum funus, adempte, tuum:  
 Nec mirum. Vixit mens propensissima Francum,  
 Teutonii vixit gloria rara soli!  
 Nam tibi quis TAUBMANNE fuit pietate secundus:  
 Floruit aut rerum cognitione pari?  
 Clarus vixisti fama trans aequora notus,  
 Delicia multis scripta fuere viris:  
 Principibus percarus eras clarisque Dynastis,  
 Consilium propter iudiciumq, tuum.  
 Sed quid opus multis? celeberrimus vndiq, cum sis,  
 Cunctaque secludas puncta nitore tuo:  
 Nec tu forte petis, nugas & inania laudum  
 Qui spernis, fame conscius ipse tua.  
 Hoc saltem dicam (nec fallor) Clare PATRONE:  
 Dum florent Musæ, non tua fama cadet:  
 Defunctus vives, non te convicia ledent,  
 Non oberit Momi garrula lingua tibi.  
 Ergo VALE multum, cœlestibus utere felix,  
 Quæ tibi sunt CHRISTI morte parata, bonis:  
 Dispereat quicumque tibi maledicere tentat,  
 Vel si GEMMATUS MARCULUS ille foret.  
 Præceptori & populari desideratissimo f.  
 MATTHÆUS HERINGIUS,  
 Pegniscus Fr.

Nulli homini firmum; nulla est diuturna voluptas,  
 Unica vixque dies nube carere solet.  
 Sed velut irriguis vernans amarantus in hortis  
 Florenti pulcræ gaudet, honore comæ,  
 At cum tempestas vel frigidus ingruit imber  
 Sternitur & lapso flore colorat humum:

Sic



Sic manet humanis summa inconstantia rebus,  
Momentoque levi quaelibet aucta cadunt.  
Scilicet hæc cura est IOVAE, nosque admonet, ut quæ  
Permutant Dominum, despiciantur opes.  
Cur igitur fluidæ curamus gaudia vitæ,  
Mors si tam celeri nos rapit atra manu?  
Occubuit Taubmann, properatâ morte, maritam  
Et consternatam deserit ecce domum!  
Horror ubique ingens cunctorum pectora turbat,  
Pars fonat, Heu, largo pars rigat imbre genas.  
Docta Cathedra dolet, magno Collegia planctu  
Moerent, & tota est luctus in urbe frequens.  
O nos felices, natosque faventibus astris,  
Huic ni rupisset stamina Parca Viro!  
Sed dum nos gerimus tristes in corde dolores,  
Tu intercoelicolas gaudia lætus age.  
Guilielmus Ziemetschauser Pfremnda-Palatinus.

**N**Uper ut athereas scandit TAVB MANNUS adoras,  
Scilicet hæc Phæbo verba dedisse ferunt:  
Phæbe pater, tu testis eris, quàm turba Sororum  
Senserit auxilium sepè, fidemq; meam:  
Nunc aliò me fata vocant, ego poscor olympo,  
Nec mihi, Phæbe, tui Dux datur esse cbori:  
En sceptrum tibi trado tuum, capeserta, lyramq;  
Dispice, qui sceptrum,serta, lyramq; gerat.  
Ille videns magni non flecti fata tonantis,  
Ignivomis currum protinùs aptat equis;  
Cunctaque terrarum lustrat, si cernere possit,  
Cui tutò sceptrum,serta, lyramq; ferat.  
Nec potuit. Rursus serorum fata nepotum  
Delius, & longè secla futura legit.



Nec potuit, saltim cui post labentibus annis  
Rite chori sceptrum,serta, lyramque daret.  
Si non ulla parem TAUBMANNO proferet etas,  
Credere cui sceptrum,serta, lyramq; queam:  
Hec moriantur, ait, tecum, TAUBMANNE, simulque  
Et sceptrum flammis,serta, lyramq; dedit.

---

A L I U D.

Teutona quo tellus non ullos vate morata  
Non Graios, non quos Roma superba tulit:  
Occidit; heu, Phoebires inclinata recumbit  
Scilicet, & rimas undique fissa trahit.  
Francia, cum moestas percellet nuncius aures  
Quos gemitus moesto pectore moesta dabit?  
In sua conversus remeabit viscera Moenus,  
Francoas inter maxima Moenus aquas:  
Aut non se posito patietur limite claudi,  
Sed lacrumis vastos cinget adauctus agros.  
Quique tuis primùm dedit incunabula Musis  
Fons, Taubmanne suam desinet ire viam.  
Albipater dudum lacrimas effundis acerbis,  
Atque tuum nescis carpere tristis iter.  
Quid nos? heu coram, quite, te, Maxime varum,  
Cernimus exanimum, tangimus exanimum?  
Imus in exequias, & quæ tu culta dedisti  
Dum tibi vita fuit, carmina moesta damus:  
Taubmannus jacet heic; Vates, Germania Mater  
Quo non maiorem nec tulit illa parem:  
Delicium Phoebi, cor Saxonis, Albidos Atlas  
Portus egenorum, gloria Francoidos.

CHRISTIANUS GASSEUS

Druidianus Variscus.

Siccine





**S**iccine lux atro venit signanda lapillo,  
Qua rapuit tantum Parca severa Virum:  
Sicne perit Taubman, quem Leucoris omnis amabat,  
Quemq; appellabat Francica Musa patrem?  
Non illo vatem meliorem Saxonis ora,  
Nec magis eximium patria terra tulit.  
Hunc inquam, vatem pietate atque arte valentem,  
Abstulit immiti mors inopina manu.  
Jam deflent Charites Taubmanni fata Poëta:  
Jam luget positâ tristis Apollo lyra.  
Vos quoque Leucoree jam mecum flete Camæna,  
Quod cecidit vestri gloria rara chori.  
Denique quisquis ades mecum testare dolorem,  
Quem pariunt tanti funera mœsta Viri.  
At quia sic J O V A E placuit, cui summa potestas  
In vitas hominum, juraq; certa necis.  
Nos quoque jam lacrymis fas est moderarier ortis,  
Taubmanni manes quas peperere pii.  
Hic etenim baud obiit, placide sed dormit, & in spe  
Vivit in æternos absque dolore dies.  
Quem quoque nos rursus, sed ovando, videbimus olim,  
Cum D E U S ex nostris nos revocabit agris.

ERHARDUS REICH Cronacensis Fr.

F I N I S.







ULB Halle  
004 977 653

3





Ff 127 a k



*Clar*  
**FRI**  
**POETA**  
 Princi  
  
*Pii Affect*  
*Pracep*  
  
 Illustrissi  
 cipum ac  
 NI, ac  
 M  
  
*In l*  
  
 Ex Typog

NI,  
 LE  
  
 tum  
  
 in-  
 IA-  
  
 NI.

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
 Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8  
**TIFFEN® Color Control Patches** © The Tiffen Company, 2007  
 Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

